



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 5. 4. Communis utilitas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Cruci affixus, flagellatus, &c. Siluit, nec tortoribus verbum dixit; nunc verò de cœlo exoptulat injurias suis illatas. Did. Stella in Luc. 7.

Vide tit. Injuria. Misericordia.

## §. IV.

*Motivum tertium**Charitatis utilitas propria.*

**E**cce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum. Pl. 132. 1. S. Thom. Vill. concione pro expedit. Christianorum: bonum, & jucundum est, charitas sola; hoc privilegium quippe soli charitati reservatum est, ut, cum sit non solum bonum, sed maximum omnium bonorum, sit quoque jucundissimum: omnis quippe alia virtus poenam habet annexam.

*Per omnia omnibus placeo &c.* 1. Cor. 10. 33. Ecce modus optimus placendi omnibus; si omnium utilitas, non privatum commodum procuretur. S. Thom. hic.

Duo, qui se sanctò amore diligunt, etiam si unus in Oriente, alius in Occidente, ita in charitate conglutinante junguntur, ut nunquam ab invicem separentur. S. Aug. f. 2. de charit. Dom. 2. Epiph.

Incommoda separationis charitatis copulâ suppleantur; quæ neminem patitur nobis esse absentem, neminem non familiarem. Eâ nihil est diffusius: par enim est latitudo charitatis, & Mundi. Facile est, ut diversi littoris cultores charitas uniat, quæ unam Rempublicam, terram fecit, & cœlum. Hildebertus Turon. Ep.

Est levigamentum quoddam miseriarum, & calamitosæ vitæ, ipsa mutua, & vicissitudinalis dilatio proximorum. Sim. de Cassia l. 12. cap. 11.

## §. V.

*Motivum quartum**Charitatis communis utilitas.*

*Correxisti orbem terræ.* Pl. 95. 10. Unicūm præceptum Domini de dilectione, si observetur, totum orbem terrarum corrigit, & in summa pace constituit. Bellarm. hic.

*Fiat pax in virtute tua.* Psalm. 121. 7. Virtus tua, ô Ecclesia, ô Jerusalem! charitas est; quæ & dives, & fortis es. S. Prosper. hic.

*Mandatum novum do vobis &c.* Jo. 13. 34. Maldonatus novum, id est, præstans, exitium. Sicut apoc. 14. 3. 4. dicuntur virgines canere Canticum novum; id est, singulare, & exitium. Hæc est illa dilectio, ait Toletus, quam si servaremus omnes; sicut non natio beator ulla est, ita nec ulla foret illa fortior, aut potentior. Corn. hic.

*Quis se constituit principem, & judicem, super nos?* Act. 7. 27. Fatuè loquitur: ubi enim charitas urget, nullus est necessarius prin-

ceps, aut judex: ipsa charitas cuncta componit; ut supervacaneus sit judex. Sylv. hic q. 17.

Tantum valet junctura charitatis, ut, quamvis multi lapides vivi in structuram templi Dei convenient, unus lapis ex omnibus fiat. S. Aug. in Pl. 39.

## §. VI.

*Motivum quintum**Charitas commendata à Christo*

*Vox rurturis audita est in terra nostra.* Cant. 2. 12. Vox annuntiantis pacem, annuntiantis amicitia veritatem, atque dicentis: *hec est præceptum meum, ut diligaris invicem.* Cassiodor. in prol. ad lib. de amicitia.

*Vulnerasti cor meum in uno* (alii legunt, *unitate*) *oculorum tuorum.* Cant. 4. 9. In uno oculorum Sponsæ Sponsus vulneratur: quia profectò usque ad mortem crucis afficitur, ut unitas prædicatorum in Ecclesia confirmetur. S. Greg. hic. q. d. Christus moritur, nè charitas moriatur. Nota, quam unionem Christus cupiat: non manuum; quæ, licet sæpe jungantur precantes, sæpius tamen separantur; & dum operantur, una quiescit, movetur altera. Et fieri potest, ut, dum attollitur dextera percussura inimicum, amplectatur læva amicum. Pedes in ambulando, nisi se jungantur, hæremus loco affixi, nisi præcedat alter, sequatur alter. Secus accidit, oculis, quorum tanta concordia, ut nunquam dissentiant, licet se mutuo non inspiciant: quò movetur unus, sursum deorsum, dextrorsum &c. movetur & alter. Omen esset proxima mortis, si alter solus lacrymas funderet. Hæc est unio, quam Christus sanguinis sui pretiò comparavit. Oliva t. 1. conc. 15.

Christus die ante obitum in Sacro Coenaculo Apostolis commendavit, non matrem, non admodum Ecclesiam, sed summopere, & accuratissimè charitatem. Oliv. t. 1. conc. 15.

*Saule! Saule! quid me persequeris?* Act. 9. 4. Christus jam gloriosus in cœlo, regnans ad dexteram Patris, impassibilis; dolet tamen in Discipulorum laboribus; nec putat sibi caput redimitum coronâ, quia illorum pedes vincuntur ferrò. S. Aug. l. 10. de Sanctis membris positus in terra: caput clamabat in cœlo, & non dicebat: quid persequeris Fideles meos; sed *quid me persequeris?* Oliva t. 3. conc. 19.

Nudus fuit Christus in cruce, qui veste charitatis operiendus est. S. Bonavent. l. 2. Dom. 2. Epiph.

Nascens docuit humilitatem. If. 9. 6. *parvulus natus est nobis.* Vivens docuit pietatem: *misericordiam volui, & non sacrificium.* Of. 6. 6. Moriens docuit charitatem. 1. Jo. 3. *in hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.* Hugo. Card. in c. 30. Gen.